



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE ECCLESIA|| TRIVMPHANTE,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

X. Sanctos non canonizatos priuatim posse coli, non publicè.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53909)

B. Antoninus 3. parte, tit. 12. cap. 8. summa Theolog. Caiet. tractat. de indulgent. ad Iulium, cap. 8. Syluester verbo, Canonizatio. Canuslib. 5. de locis, cap. penult.

CAPVT X.

*Sanctos non canonizatos priuatim posse coli,
non publicè.*

DE QVARTO, an liceat colere non canonizatum; respondeo, licere priuato cultu, non publico, vt Doctores communiter affirmant in capit. 1. & 2. de reliquiis, & veneratione Sanctorum. siquidem summus Pontifex eo loco prohibet publicum cultum, ergo à contrario priuatum censetur permittere. Vocamus autem publicum cultum, non eum, qui coram aliis exhibetur, sed qui nomine totius Ecclesiæ, & tanquam ab Ecclesia institutus exhibetur.

Ex quo intelligimus, quid sit dicendum de illis septem honorum generibus antea enumeratis. Nam quantum ad PRIMVM, licet non canonizatum credere & vocare sanctum, non tamen prædicare eum tanquam ab Ecclesia inscriptum Sanctorum Catalogo.

Quantum ad SECVDVM, licet inuocare non canonizatum, etiam aliis audientibus, vt patet ex Hieronymo in vita Paulæ, & Gregorio Nazianzeno in vita Athanasij, & Basilij, vterque enim inuocat quos laudat ante canonizationem. præterea oramus viuentes, etiam si nesciamus esse sanctos, cur non defunctos, quando maiori ratione confidimus esse sanctos? At non liceret in publicis litaniis, & sacro officio id facere.

Quantum ad TERTIVM, & QVARTVM non videtur licere villo modo, eos honores sanctis non canonizatis deferre; nam templa, & altaria, & sacrificia sunt ex natura sua publici cultus. nullum est enim sacrificium in Ecclesia nisi commune, & à Deo ipso institutum: templa autem, & altaria ad sacrificium referuntur.

Quantum ad QVINTVM, non licet publicum festum celebrare, liceret tamen in die natali sancti non canonizati peculiariter.

culiariter laetari, & Deo vacare in memoriam eius. quod fecisse etiam veteres cognosci potest ex Ioanne Cassiano, col. lat. 19. cap. 1.

Quantum ad *SEX T V M*, licet imaginem pingere, & venerari, non tamen in templo constituere eo modo, quo aliorum Sanctorum.

Quoad *S E P T I M V M*, non licet reliquias non canonizati hominis in templo constituere publicè honorandas: licet tamen eas habere, & venerari, etiam aliis videntibus, modò scandalum absit; id enim habet praxis Ecclesiæ, mox enim: Martyres defuncti erant, currebant fideles ad reliquias capiendas. & similiter quando moriuntur homines clari sanctitate, multi deuotè osculantur manus, & pedes, & de vestibus eorum pro reliquiis seruant; nec id vnquã prohibitum fuit. Præterea si licet honorare viuentes, quos credimus sanctos, cur non mortuos?

Atque hæc pauca de canonizatione sufficiant: si quis plura videre desiderat, legat Augustinum Triumphum in Summa de potestate Ecclesiæ, & Troilum Maluetium in libro de canonizatione.

C A P V T X I.

Proponitur quæstio de cultu Sanctorum, cum aduersariorum argumentis.

RXPEDITIS quæstionib. de gloria, & canonizatione, sequitur recto ordine controuersia de cultu. Fuit antiqua hæresis Eustachij apud Socratem lib. 2. hist. c. 33. Eunomij, & Vigilantij apud Hieronymum, Claudij Taurinensis apud Ionam Aurelianensem, & VViclefij apud Thomam VValdensem, tom. 3. de Sacramentalibus, tit. 13. Sanctos nõ esse colendos: quæ rursus per Calvinistas, & Lutheranos renouata est. nam Magdeburgenses Cent. 1. lib. 2. cap. 4. col. 340. dicunt omnè Sanctorum adorationem esse idololatriam. pari ratione Calvinus lib. 1. Instit. cap. 11. §. 11. & cap. 12. §. 1. & 2. non patitur vllum cultum exhiberi sanctis Angelis, vel hominibus defunctis, neq; paruum, neque magnum. Argumenta verò eius hæc sunt:

PRIMUM,